



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Decennium Apostolicum S. Francisci Xaverii Indiarum II.  
Japoniarum I. Apostoli**

**Nevhsii**

Decennii Apostolici Ann[us] primus. Christi MDXLII. Xaverii XLV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37272**

¶ ( 5 ) ¶

X. Dispositione admirabili, nec prævisâ  
hominibus, à Deo provisâ,  
Bobadillæ es surrogatus.  
Nihil hic sine Numinе Divum.

Decennii Apostolici Annº primus.

Christi M D X L I I.

Xaverii X L V.

**T**andem exscendimus tecum in anhelatam  
tot votis Indiam, Apostolice Viator, & ter-  
ram speciosis Evangelizantis pedibus calcatam,  
rigatam sudore, lacrymis ac sanguine perfusam  
osculamur; terram, quæ immensis Tuis per De-  
cennium culta laboribus flores dabit & fructus,  
atq; ideo in Majo appellis, ut dieere jam Goa possit,  
imo Oriens: flores apparuerunt in terra nostrâ,  
terrâ spinis Idololatriæ aliorumque scelerum op-  
pletâ, flores, qui in fructus uberrimos mature-  
scent; & si flores non essent alii, Tu certe florem te-  
das novo huic plantario, Innocentiâ candide, rubi-  
cunde recenti pro Virginitate sanguine Xaveri.

At ecce hic primum incipit expeditionis Tuæ  
Annum, Generose Christi Miles, oppugnationem  
ordiris, non nisi Decennio cum veteris Trojæ

A 3

expugna-

expugnatione terminandam. Ac prima quidem  
velitatio à demissione est, quando & Apostolicus  
Nuntius Te ad genua Goani ad sternis Episcopi, &  
in valetudinario publico stationem deligis, & ab  
infirmorum servitio Tibi robur conqueriris, & se-  
minarium novitiae juventutis Tecum aliquando  
militatura è Malabaribus, Ceilanis, Bengalensi-  
bus, Peguanis, Malacensibus, Abyssinis, confiniúm-  
que barbarorum adolescentia instruis, & assultu  
facto Idola Idolorumque stativa occupas, incendis,  
evertis. O fausta pugnae auspicia magne pugil! ad-  
mitte nos in belli societatem, &, si tantis tam re-  
motis expeditionibus aut indigni sumus aut im-  
pares, contra domésticos saltem hostes viriliter de-  
pugnemus.

## Decem Apostolicæ, Decennalis Apostolici Xaverij, Virtutes.

- I. Demissionem Francisci sacri loquuntur
- II. Patientiam hostes impii. (Præsides.)
- III. Charitatem miseri.
- IV. Peccatores suavitatem.
- V. Virginitatem Barbari.

VI. Pru-

- V I. Prudentiam Lusitani.
  - VII. Fiduciam socii.
  - VIII. Magnanimitatem maria & pericula,
  - IX. Zelum regna & Insulæ;
  - X. Amorem Cælites & Deus.
- Testatoria sunt omnium, quām ut narrentur,  
Argumenta.

Atq; hę decē Virtutes Tuę decē illę Lineę sunt,  
per quas in salutem Gentium reduceris  
ab Occidente in Orientem sol orbis, Xaveri.  
4 Reg.20. Isa.38.

## Annus secundus.

Christi M D X L I I I .

Xaverii XLVI.

**V**Indemia hoc anno felix est, quando Octobri  
mense in Piscariam pergis Xaveri, non tam  
pisces aut uniones ē mari, quām ē vineis botros le-  
cturus. Sic laboras Pater sancte (idenim modo  
nomen acquiris) inter Paravos, sudas in Comori-  
no, concursas in Punicali, pagos integros undā sa-  
lutari eluis, decertas in Pagodes, Brachmanestri-  
umphas, & vel abjectissimā Tui demissione, vel  
gloriosā mortuorum trium suscitatione, in im-